



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Decretvm III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

*ad Crucifixum in altari positum conversa, coram eodem, & toto Clero, pluribus ac efficacibus verbis protestata fuit, quod Episcopale munus suum per tot jam annos omnibus modis adimplere studuerit, ac proinde in conscientias singulorum, toties respectively admonitorum, correctorum & punitorum,*

*rejeciat, easdemque oneret, si, que, pro sua & subditorum singulis commissorum salute, agenda fuerunt ac posthac erunt, non praestent.*

*Sermone finito, Secretarius Synodi resumpit electionem Decretorum Synodalium.*

## SEQVNTVR DECRETA SYNODALIA.

### DECRETVM I.

**C**VM, per operosè completam tandem Visitationem generalem Dicecisi Nostræ Osnabrugensis, cognoverimus, varia, haecenus salubriter publicata & intima, tam Synodalia quam Visitationis Decreta non observari; pro Pastoralis officii sollicitudine, necessarium duximus, quædam, ut fundamenta reliquorum, in hac Synodo repetere, ac denuo inculcare, seu de novo promulgare; ut sequitur.

### DECRETVM II.

**T**ANTA est quorundam negligentia, & inexcusabilis socordia & inobedientia, ut ne quidem Constitutiones, haecenus legitime publicatas & receptas, apud se habeant, sed nec illas, aliave ipsis intimata Decreta, legant, aut, interrogati de eis, rationem reddere possint. Vnde ferio mandamus & præcipimus, ut quilibet librum Synodalem, Agendam, Missale, Proprium Sanctorum hujus Episcopatus, item Catechismum, ac librum Cantionalem vulgaris idiomatis, jam jam typis evulgandum, nec non Decreta Nostra Visitationis propria, penes se quisque habeat, retineat, legat & revolvat, sed & accurate observet, & observari respectively faciat, ut suo tempore, interrogatus de iis, rationem reddere possit.

### DECRETVM III.

**F**ESTA, processiones, jejunia, abstinentia, juxta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non Calendarii & Directorii Osnabrugensis dispositionem, diversis in locis non rite observantur, aut omnino negliguntur. Quare, jure merito, longos viarum anfractus, in processionibus de nocte fieri solitos, cum omnibus commissationibus, in processionibus etiam nonnullis, usitatis, absolitos volumus; ac, ut vigor Apostolicarum & Diocesanarum Constitutionum accurate observetur, demandamus, in quo Pastores suum officium singuli praæstabunt.

### DECRETVM IV.

**L**ICENTIAE, die festo laborandi, inconsiderante sine gravi causâ non concedantur. Processiones tamen, haecenus tribus feriis lexis post Trinitatis fieri consuetæ, in posterum tribus Dominicis fiant, in omnibus Parochiis.

### DECRETVM V.

**R**Eperiuntur non pauci, qui contra Decreta, antehac publicata, malunt cum famulitio alienæ religionis, quam suæ, convivere; nonnunquam cum suspicione prævâ laicorum. Itaque inculcatur serio, ut quilibet Ecclesiasticus ab hujsimodi consortio se abstineat.

### DECRETVM VI.

**A**Mbitiosa quorundam avaritia, multa sibi coacervat beneficia Ecclesiastica, unde execrables hac in parte jure communi statutas penas reponimus; monemusque omnes & singulos qui diversa beneficia possident, ut vel dispensationem, intra mensis spaciun, Nobis aut Nostro Officiali exhibeant, cauſisque dispensandi probent, vel beneficia sua refingent, aut se privandos esse sciant.

### DECRETVM VII.

**S**OLICITI etiam sumus de animabus, Nobis concretis, uti thesauro inter acatholicos hic abscondito. Itaque necessarium est, ut accuratius, quam haecenus factum fuit, nomina Communicantium in Paschate singulis annis, uti & conversorum singulis trimestribus, Nobis vel Officiali Nostro exhibeant; &, licet nullus ad Religionem orthodoxam accesserit, nihilominus id praestent; & ita de sollicitudine doceant Pastoralis officii.

### DECRETVM VIII.

**Q**VANDOQUIDEM Seminarium Clericorum huic Diocesi ante omnia necessarium, juxta facrificanti Concilii Tridentini Decreta ac monita, ferio desideramus ab omnibus, ut, secundum antiores Constitutiones, huic sacro instituto aliquid in ultima voluntate legent, aut alias contribuant.

DE-